

inde vestratisq; librarius noster tandem mihi eandem re-  
vexit. Si apud me delituit, donec aura clementiore nunc  
tibi offertur. Cetera ex filio meo cognosces, quem iterum  
tibi consiliis, hortatibus, ubi opus erit, juvandum com-  
mendo. Feliciter vale. Deus sanctis vestris laboribus  
cumulatè benedicat. Heidelbergæ 25. Octobr. 1673.

164

Car. Davidi Pareo Johannes Piscator Sal.  
Reverende et Clarissime Dñe Doctor Paree, Domine.  
Amice plurimum honorande. Quam hic Juvenis  
Heidelbergam à nobis ad pleniorum Ingenii cultum  
capiendum profecturus, mihi ut Praeceptoris valediceret.  
rogavit me ut sibi aditum ad te patefacerem. Quod  
officiam haud gravatim ei prestiti, nam ita probe  
se apud nos gessit, ut dignus sit, qui omnibus bonis com-  
mendetur. Nomen ei est Johannes Arnos, natione  
Moravus; alumnus, ni fallor, fratrum, quos vocant.  
Oro igitur, ut illum tibi habere velis commendatum.  
Sed hæc hactenus. Ad mea studia quod attinet, nego-  
tium mihi facessit Doctor Vorstius duobus libris con-  
tra me scriptis; ad quem utrumq; jam respondi:  
quem etiam utrumq; in proximo nundinis Franco-  
furtensibus divulgatum iri spero. Utinam post hæc  
mihi parceret, et iudicium de illis, quæ jam ab utroq;  
scripta sunt, Christiano lectori permitteret. Sed  
non audeo hoc sperare, quia in prefatione quadam  
sua replicarum mentionem fecit. Replicet igitur  
ille, quantum volet; nisi aliquid novi attulerit, quod  
responsionem postulare videatur, labore isto super-  
fedo et horas illas melius collocabo. Quod restat,  
rogo ut filium quoque meum commendatum tibi ha-  
beas. Ego vicissim grata officia, si qua possim,  
tibi prestare sum paratus. Vale Herbornæ .13.  
Junij 1673.

165

C. D. Pareo Raphael Lylinus Jonius Sal. ex An. Servator  
Vir Reverendissime ac Celeberrime, Domine et Pater  
Venerande. Fecit infirmitas corporis, quæ minus  
sequeretur

219

sequeretur An. Wirzins noster vocationem Gistrovien-  
sem. Istuc igitur venturam meis hinc T. Excellentia  
quam maxime commendo, tum quia dignus est, tum  
quia Tybering cura. Non dubito consilio auxilioq; adju-  
turam eum T. Excellentiam, ut semestri hoc quam  
commodissime istuc sit. Hinc reddita sint T. Excell.<sup>tie</sup>  
mea nuper per An. Carolum Lauer transmissa,  
littera, quibus eum eidem commendari, nondum  
rescire potui. Miser exul commovit mihi viscera,  
nec constabat cum uxore et prole profectum, nisi  
Doctor Moltherus postea indicasset. Nostra dispu-  
tatio posterior de Coena satis feliciter successit.  
Interim tamen a T. Excell. totus pendes iudicio.  
Vorstium sua Tyburum misisse cum literis relatu  
Albertini Rhati cognovimus. Vivid ita gaudere  
ut non solum asylo totius Belgii gaudeat, sed eti-  
am in leniorem Ecclesia nuper sit allectus publi-  
ci. Annum Quirinum p. m. isthic diem suum obi-  
isse, serius intellexi. Utinam vestra omnia sint  
salva salvo serenissimo Electore. Postremo eti-  
am atq; etiam a veneranda Dignitate T. Excel.<sup>tie</sup>  
peto, ut incursionem hanc mearum literarum  
non iniquè ferat, quam ex animo veneror et  
amo instar filii. Dominus Jesus Eisdem cumu-  
latisimè benedicat. Marpurgi 15. Maji 1613.

Car. D. Pareo M. Andreas Welcius.

Omnia Fausta, felicia et salutaria R. T. D.

ex animo precamur.

Egi quidem jam antea R. T. D. per literas imortales  
gratias, eo quod filium meum singulari humani-  
tate et benevolentia fuisset complexa. Quia tamen  
ex nemine, neq; ex literis filii, hactenus mihi in-  
telligere licuit, num illa bona fide ad manus  
eius pervenisent, nec ne, de integro istud faciendum  
putavi. Nequeo igitur hoc satis superq; predicare.